

NOTITIA LITTERARIA

(FABRIC., *Bibliotheca med. et infim. Latinit.*, tom. III, pag. 214.)

Henricus de Castro Marsiaco, abbas an. 1161 Altæcombæ in Sabaudia, et an. 1177 Clarævallensis, ord. Cisterc., deinde anno 1179 sub Alexandro III episcopus Albanus sive Albanensis in Campania Romana, et cardinalis legatusque apostolicus sub Gregorio VIII, diem obiit an. 1188. De eo Ughellus tom. I, p. 254 seq.; Sammarthani t. IV, pag. 31 et 258; Ondinus tom. II, pag. 1559. Ejus scripta hæc exstant in tomo tertio Bibliothecæ Cisterciensium Bertrandi Texioris sive Tissierii: *Commentarius sive sermones De peregrinante civitate Dei. Declaratio adversus Albigenes*, quæ ex Baronio ad an. 1178, n. 29-37 existat etiam in Chrysostomi Benitez libro II, *Fasciculi sanctorum. ord. Cisterc.*, dist. 25. *Epistolæ ad diritos*, conferendæ cum *epistolis* undecim quas ex codice Claravallensi edidit Edmundus Martene tom. I *Anecdotor.*, pag. 576 seq. His nuper accessit *Censura mprum et corruptelæ inter clericos et sacerdotes sui temporis*, quanu vulgarit Joannes Petrus a Ludewig in reliquis mass et diplomatum ineditorum tom. II, pag. 437, 441, et litteræ quibus convocat præsules Germanie ad comitia deliberaturos de bello sacro adversus Saracenos, id., p. 449-452. Inter epistolæ a Martenio tom. I Vetus. Mon. vulgaritas legitur pariter ejus edictum quod deinde Joannes Petrus Ludewig in suis Reliquis tom. II vulgarit sub hoc titulo: *Censura mprum et corruptelæ inter clericos et sacerdotes sui temporis*. In Ludewigo tamen integriores sunt litteræ istæ: quam apud Martene; vicissim autem Martenii illæ multo correctiores sunt Ludewigi. Præstat insuper animadvertere nec litteræ illæ Ludewigi integras esse, sed habere in fine assutum fragmémentum alterum epistolæ forte ab altero auctore, et diverso de argumendo scriptæ. MANSI.]

DOMINI HENRICI CLARÆVALLENSIS QUONDAM ABBATIS POSTMODUM ALBANENSIS EPISCOPI EPISTOLÆ.

(D. TISSIER, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, t. III, p. 252.)

I.

Ad fratrem Alexandrum tertium. — Missus ad prædicandum bellum sacrum. nuntiat Henricum Campanie' comitem crucem assumpsisse, commendatque pontifici terram seu principatum ipsius.

Ut in gudio et exultatione metatis, quod pia sollicitudine seminastis, ad notitiam vestram, Pater sancte, deferimus, quod cura, quam nobis apostolica delegavit auctoritas, suaves in aliquibus et acceptabiles Deo fructus, fidei vestræ merito parturivit, ita ut et nos delectet exsecutio boni operis, et vos certe pœnitere non debeat utilis et saluberrimæ jussionis. Illustris namque comes Henricus, noster specialissimus princeps et dominus terræ peregrinationis nostræ, compunctus et inspiratus a Domino, vexilla salutis primus arripuit, et dignum Domino spontaneæ oblationis offerens sacrificium, ad simulationem pii muneric ducem se cæteris præstitit pietatis. Jam in hortulo cordis ejus germina lœta repullulant. Jam futuræ fertilitatis ipsius aprica

A viriditas hilarescit; ita ut sentientes in eo fragrantiam spei bonæ exsultemus et lætemur in ipso, tanquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus. Nuper enim circa Dominicæ Natalis proxima sacramenta de manu legati vestri vivisca crucis signum pia devotione suscipiens, publicat solemnitatis gaudium inopinatae lætitiae festivitate prævenit; ut de ipso quoque merito resonaret: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc. ii*). Ecce igitur pro eo coram vobis affectuosisimæ devotionis preces prona humilitate prosternimus, rogantes ut terram suam, quam patrocinio vestro ex fiducia multa commisit, meminieritis, prout decet, apostolici præsidii tuitione vallandam; quatenus quisquis in eam aliquod fuerit in absentia principis inachinatus incommodum, indignationem vestram se non dubitet incursum. Nulli etenim justius diligentia sacri apostolatus impenditur, quam ei, qui tollens crucem suam, per tot maris terræque discrimina crucis Dominum imitatur.